...tthaeus

Smotuskowski Joan. fac. Census virtutis et sapientiae theologicus honor ad merita D. m. Matthaei Kolendowic aestimatissimus.

CENSUS
Virtutis & Sapientiæ
THEOLOGICUS HONOR,

Ad merita

Perillustris Clarissimi & Admodùm Reverendi Domini

D.M. MATTHÆI KOLENDOWIC,

S. Theologiæ Licentiati & Professoris, COLLEGÆ Majoris, Ecclesiarum Collegiatæ S. FLORIANI Clepardiæ CVSTODIS, Parochialis Zebrzydoviensis PRÆPOSITI, Contubernij Philosophorum PROVISORIS,

ÆSTIMATISSIMUS,

dum à

Perillustri & Reverendissimo Domino

D.M. MARTINO WALESZYNSKI,

S. Theologiæ Doctore & Professore Ejusdem Facultatis Decano, Collegij Majoris SENIORE PATRE, Ecclesiarum Cathedralis Cracoviensis CANONICO, Montis S. GEORGIJ in Scepusio & Præmyśloviensis PRÆPOSITO, Contubernij Hierozolymitani PROVISORE, Canonizationis B. JOANNIS CANTIJ PROCVRATORE, Librorum per Diœcesim Cracoviensem Ordinario CENSORE, Studij Generalis Universitatis Cracoviensis PROCANCELLARIO.

Sacræ Theologiæ DOCTOR,

Præsente Magnorum Hospitum, ac Senatûs Academici Corona,

In Ecclesia Collegiata S. ANNÆ ritu solenni renuntiaretur;

Applaudentis calami obsequiô,

M. IOANNIS IACOBI SMOŁVKOWSKI, Philosophiæ Doctoris & Professoris, Collegæ Minoris Vocati, Contubernij Philosophorum Senioris,

Luci publicæ

PRÆSENTATUS.

Anno Domini 1732. Die 30. mensis Septembris.

CRACOVIÆ Typis VNIVERSITATIS.

CENSVS
Virtutis & Sapientiæ
THEOLOGICUS HONOR,
Ad merita
ÆSTIMATISSIMUS.



Extra orbis peripheriam nitere penna,
in tam angusta Orbis periodo si nequis,
augustum Virtuti & Sapientiæ pretium
testibus inscribere chartis,
unà cum Columbo novi repertore Orbis
alterum tenta involare.
Nec incongruum erit,
si etiam in clausis terræ venis
justum virtuti pretium assignabis.
Nam
Nihil sublime in humili loco natura reposuit,
Nil pretiosum communi obtrusit pupillæ,
illa solummodò quæ abiecta sunt,
objecta esse voluit,
Quæ cor & oculos venantur,
Vel ab oculis expulit,

Vel

Vel

In abditis terræ visceribus conservavit.

Sic scabrosos lapides pedibus ubiq; offendere poteris,

At nobiliores gemmas

nonnisi in profundissimo Neptuni sinu reperies.

Despectæ utiq; ranarum squammæ qualibet progenerantur palude

conchas, nisi Erithreæ parturiunt aquæ.

Ferreum in domestico solo habetur metallum,

aurum qui exhamare voluerit?

Arabicis utatur ligonibus,

est necesse.

In his

si accumulati æris observas conditoria,

sola opinione humana pretiosa crede.

Citra omnem comparationem.

Præstantiorem thesaurum in animis sapientûm reposuit eruditio,

quam in facultatibus fortunæ divitum.

Hinc

ut Luna sereno nitore minores confundit stellas,

sic splendidus Virtutis fulgor

omnem radiantis auri obtenebrat claritatem.

Pallescunt utiq; gemmæ ad probitatis candorem,

fulvosq; auri radios præclara obfuscat virtus,

adeò;

ut nec æquorea conchilia, nec Lydij pumices

tale sibi pretium vendicare possint,

quale virtutis extorquet decus.

Obscurum est è terræ cavernis effossum aurum,

licet in Regum & Monarcharum rutilet diadematis,

ni præstantissimo fulguret & fulgeat virtutis unione.

Pretiosiorem Orbem faciunt,

Qui erudita fronte grandinant ſudoris gemmas,
quàm aureus Iovis imber aut gemmea grando.
Hic utiq; fortunatiſſimus Policrates,
qui non fortunæ, aſt ſapientiæ annulô ſubarrhatur.

Hic toto dives Orbe,

qui non in Oceano, ſed intra foliorum margines,
pretioſas eruditionis piſcatur gemmas.

Nam

Auream nitore mens prætergreſſa gazam,
nullum ſui in communi mundo habet pretium,
ni illud in alio ſapientiæ Orbe ſortiatur.
Tale pretium Virtuti & Sapientiæ Tuæ conveniens habes,
Perilluſtris Clariſsime & Admodùm Reverende Domine

Neo Doctor;

Qui non divite tumeſcentis ſaburra Pactoli
non aureis cum Tymotheo piſcatus retibus
ſed deciduis ſudorum unionibus
à prima vitæ aurora emendicare cæpiſti.
Prodidit ſe ſtatim ab ipſis juventæ annis Tua virtus,
ipſasq; cunas optimo ſpei fæcundavit rore,
Ut quidquid ad prodigium omnium acturus Vir eras,
tenerrima ſecuturæ ætati prælucebat infantia.

Et benè

à purpureo enim rubentis Phoſphori ortu
pretioſas aureo jubare diei metimur horas,
à ſereno evigilantis Phæbi riſu
nullis aſperandum nubium rugis ominamur meridiem;
ita ex primo infantilis Tuæ ætatis flore,
futuræ vitæ optimè quiſq; colligebat fructus.

Nil

Nil enim in Te Pusione pusillum, præter ætatem videre licuiit,
Ipsa minuti ac elegantis vultûs majestas
magni fuerat index animi,
profunda speculatione tenerior defixa pupilla,
maximis intentum negotijs testabatur ingenium.
Vix Academico accessisti Lycæo,
forsitan parùm ab ubere suxisti lactis,
quia tanta totus fervens orexi,
ut nonnisi Castalìjs possit mitigari fontibûs.
Inter coëtaneos Athletas virtutis seniô gloriosior,
& quæ alijs
tantùm sudoribus immortales vendunt Superi,
Tibi ultro donásse credebantur.
Ita scilicet studia in adolescentia ostendunt,
quæ sapientiæ maturitas sit futura,
& in flore ætatis ulterioris virtutis prænoscitur fructus.
A Musis Novodvorscianis
in publicam Philosophorum arenam descendens,
quidquid egisti, semper publicum merebatur plausum.
Nunquam laboris jugo submissam emancipâsti cervicē,
semper operoso sudoris remum immersisti salo,
ut eodem Jasone felicior,
non Colchicum vellus, sed honoris promontorium adnatares,
bene gnarus
dura experimenta magnæ fortunæ esse præludia,
& nonnisi per laboris Fanum esse aditum ad honorem.
Sic natura quæ pretiosa sunt asperioribus involvit,
rosam spinis, aurum rupibus, unionem conchæ,
non ut prohibeat invida, sed ne det,

nisi meritis.
Talem te Academica videndo Pallas,
qui arenam Philosophicam tuo sudore fecisti madidam,
ut eò fertilior in laurearum messem pullularet;
dum Te utraq; coronavit Laureâ.
Intumuerant quidem illæ,
quia tantum potuerint coronare Caput,
quod aurum optimum singuli paradoxum fatebantur.
Verùm
ut Phæbus lucem, concha gemmas, non sibi, sed alijs,
ita Tu
aureum ingenium plurimis tribuere visus,
dum in Novodvorsciano Collegio
quot melleo ab ore pandebas verba,
certè singula, singulis digna unionibûs.
Imô
ita Regni Aquilas Scholastico admovebas Phæbo,
ut facilè in omnium affectus involares,
ita omnium corda admirandâ trahebas eloquentiâ,
ut magnes animorum credi potuisses.
Nec mirum
pro verbis enim locutus gemmas
prope Oratorum Coronis & miraculum,
mellitas ab ore proferendo Hyblas
quasi dulcem apum lingua portaret Patriam.
Pendebat ab ore hoc ceu apis à suaviore esca
Illustrissimus & Excellentissimus Dominus
JOSEPHUS
Comes

COMES in Tęczyń

OSSOLINSKI,

CAPITANEUS Sandomirienſis.

Certè non parca manu hanc compſit natura Indolem,
nec Charites quidpiam reliquum habuiſſe credo,
quod Illi dotali munere non indulſerint.

Nihil enim

in aperto frontis videre licuit ſpeculo,
quod ad perfectam virtutis deeſſet imaginem.

Plura à Te magno Chirone nactus,
quia plena ſapientiæ auctus Iliade,

In cujus aureo Capite

velut in Parnaſſi vertice novem conſedêre Muſæ,
non una abſq; vulnere Pallas prodiiſſe viſa,
dum inter Senatores Lycurgum, in Conſilijs Apollinē
non verba fundentem, ſed oracula,

Lechicus toties obſervavit Orbis.

Parem eruditionis traxit copiam,
Illuſtrium Familiarum clara Progenies

Grodzicciorum Indoles,

à Tuo felici ingenio

velut ex aurifodina ſcientiarum aurea prodiêre Capita,
quorum ſi in conſilijs gravitatem, in propugnanda libertate
Conſtantiam, in geſtis dignitatibus authoritatem,
levis in paginam transferret calamus,
priùs tanto oneri ſuccumberet impar.

Documento mihi eſt

Perilluſtris & Reverendiſsimus Dominus

D. JOSEPHUS
De Domaszewice & Grodzisko
GRODZICKI,
Canonicus Cracoviensis,

Ternarum Vavelli Coronarum inæstimabilis Gemma,
qui etiam nunc rapientē se in Ejus elogia calamum,
sola taciturnitate facundum efficit,
hanc maximam in fontes Rhetoricos visus injecisse molem,
ut nullus sit,
qui sub magnitudine laudum Ejus
hæsisse non cogatur.
Ipsa enim admiranda sublimitas ingenij,
quod in Cracoviēsi Athenæo arenâ polivit scholastica,
omnium hebetat ingenia,
ut rosam in ore defigat Oratoribus,
& silentijs altum ponat pessulum.
Testantur & Sisiniani parietes Contubernij,
Te suum dignissimum Seniorem,
vivum pietatis & laboris exemplar fuisse;
testantur quoties insomnes duxisti noctes,
ad accensam cum Cleante lucernam pervigil.
Centoculum Te singuli fatebantur Argum,
qui uniuscujusq; commodo & sapientiæ providisti,
dum ad eruditionem Te sine tædio audientium
pro verbis suave locutus nectar.
Et
licet persæpe Indoli amaræ sint radices artium,
quamvis dulcissimos sapientiæ progenerent fructus,
odibiles in scribendo lituræ,

quam-

quamvis ab ignorantiæ limo puras expingat mentes,
molesta acumina, etsi obtusiores conceptus acuant,
insipidi sales, etsi optimũ insipientibus ingenijs
instillent condimentum,
à Tuo ore roseo
semper dulces singuli fatebantur.
Tandem
unanimi assensu Patrum,
ad Laureatorum sedem
Collegium inquam vocatus Minus,
quidquid pro gloria egisti gentis,
meum excedit calamum.
Singula si intra tenuiores effunderet chartæ margines,
exundarent, & præ copia rumperentur.
Sed quia
augusta ingentis animi magnitudo
unius loci non capitur angustijs,
nescitq; in parvis latitare terris
arduo nisu stabilita virtus,
Nescit in parvis habitare clausi partibus Orbis,
ideò
ad Majus non minor meritis assumptus Collegium.
Et benè
meliùs enim hospitantur gemmæ, si in gemmeo serventur Hydaspe
svaviore susurro inerrat aurum,
si in aureo fluctuet Pactolo.
Ita, nullibi meliùs Tibi majori meritis inquilinum erat agere,
quàm in Majori Collegio,
C qui

qui pridem in animis Majorum, imò & Principum habitasti.

Elucescit id

In Celsissimo Principe,

Illustrissimo & Excellentissimo Domino,

D. IOSEPHO

DVCE *in Korzec & Olexieniec*

CZARTORYSKI,

Magni Ducatûs Lithvaniæ Vexillifero,

ad Cujus immensitatem gloriæ
decrescit fastuosa Macedonum magnitudo,
Minores statim Roma advertit Maximos,
si illi conferantur.

De pari cum Principe Astrorum agit,
Planetas ille, Hic omnium splendorem extinguit.

Porro

Parva est in Ejus æqualitate magnitudo omnis.
Infra Illius vestigium est,
quidquid inter prima Capita Orbis celebrat adorator

Sanè

Et Hercules cum clava, & Theseus cum hasta,
& Achilles cum suo genuflectit arcu;
quoties cum Illorum annosa gloria in parem descendit arenam.
Cujus ita adhæseras cordi,
sed ut semper propinquior esses,
Zebrzydoviensis Ecclesiæ Te Præpositum voluit esse.
Ingessit se brevi Tuis humeris Decanalis Purpura,
& jam conchæ gemma, soli radius,

Coro-

Coronæ accessit adamas.
Nunquàm hæc absq; Tuo rubuit sangvine,
qui eam cruenti sudoris gemmis distinxisti,
semper ad Palladis in ea pallebas chartas,
ut illam pro Te non faceres erubescere.
Ex Eurippo Philosophico
omnes eruditionis collegisti gemmas,
ut nullus fuerit,
quem ditiorem Cræsô non efficeres.
Jagellonica Pallas
stupuit Tuæ excellentiam mentis,
nullam dari potuisse difficultatem vidit,
quæ Tibi non facilis videretur.
Non tamen hic Tui sudoris finis.
Alias
Annulatim sibi labores cohærent,
unusq; trahit alterum.
Comitantur se cumulatim conatus,
semperq; catenatæ incedunt curæ.
Verbô
nunquàm solitarius vult esse sudor,
dum unus mox parit alterum.
In Te optimè hoc probatum,
qui plurimis jam laboribus pressus, non tamē oppressus,
Tylicianum Eloquentiæ ageres Oratorem,
ligâsti cunctorum animos disertæ svadæ compedibus,
verborum flore antecundo Hortensios:
facundas Roscij superando exedras,
Omnem Tullij majestatem in Te transtulisti,
 cum

cum pleno in aures influebas Hymetto.
Cor non habere in pectore jã Te ominabantur singuli,
cùm illud in lingva cum amore docendi exhibebas.
Fateor,
abijcerem jam hìc calamum,
si omnium ora adducere possem,
quos per universum Tuæ Indolis habes laudatores.
Sed
loquantur, si per naturam possunt, ipsæ literæ,
ex quibus syllabum Tuæ gloriæ collegisti,
quoties publici præli officinas fatigâsti.
In Collegio Novodvorsciano Professor,
Doctorem Angelicum
THOMAM DIVINISSIMUM,
sub Crystalli Titulo adeò Elogijs celebrâsti,
ut soli Ejus clarissimum funderes fulgorem.
Ingens præcordijs cordis intulisti gaudium,
Illustrissimi & Reverendissimi Domini
D. STANISLAI
De BEZDAN
HOSIJ
DEI, & Apostolicæ Sedis gratiâ,
EPISCOPI CAMENECENSIS,
NOMINATI POSNANIENSIS.
Cujus Præsuleo Honori Olympia
Nobiliori emensus metro.
Ligatus ille Tuus stylus
ita Pontificium cor ligaverat,
ut id omnibus Tuis desiderijs
semper solvere sit paratus.
Ruerent velut agmine facto
in

in Sarmatiæ viſcera coacervati dolores
poſt fata
CELSISSIMI PRINCIPIS
Illuſtriſsimi & Reverendiſsimi Domini
D. STANISLAI
à SŁVPOW
SZEMBEK,
DEI, & Apoſtolicæ Sedis Gratiâ,
ARCHIEPISCOPI GNESNENSIS
Legati Nati Regni Poloniæ & M. D. Litthvaniæ
PRIMATIS, Primiq; PRINCIPIS,
ni eis.
aciem in acumine doloris Tui opponeres ingenij,
dum quot verba poſtumæ Ejus conſecrâſti gloriæ
nullum erat, quod non acumine plenum.
Quid dicendum de Magnaliis?
quæ poſt Coronas & Sceptra primo Orbis Poloni Motori
Celſiſſimo Principi
Illuſtriſsimo & Reverendiſsimo Domino,
D. THEODORO
à POTOK
POTOCKI,
DEI, & Apoſtolicæ Sedis Gratiâ,
ARCHIEPISCOPO GNESNENSI
Regni Poloniæ & Magni Ducatûs Lithvaniæ
PRIMATI Primoq; PRINCIPI
ABBATI TYNECENSI,

quæ ſublimi ingenij ſtylo ad delicium ſæculi inſcripſiſti,
certè hæc Magnalia magnum teſtantur ingenium,
cujus gloria Lechicum implendo Orbem,
ad margines uſq; æquoris Theologici devoluta.
Scrutatrix itaq; Divinæ Majeſtatis
Sacra Theologia
explicativum Te Profeſſorem vix nacta
illicò in facillimam mutata doctrinam,
oculis defixis velut penduli Memnones ſtupebant attoniti,
ſubtilitatem ingenij, claritatem ſenſûs pariter admirati,
ut cum AQVINAS præ pectore Phæbum
Tu ferre præ ore putareris.
Tantos inter labores Theologicos
Almæ Univerſitatis Digniſſimus
PROCURATOR,
Totus in univerſalis boni impenſus curam
pro Domo Tua Tacitus, pro omnium perorando.
Funus propriam exiſtimabas vitam
niſi communi vixiſſes bono.
Diviſiſti cor Tuum omnibus & Tibi ſinguli.
Vivum hujus exemplar
etſi poſt funera,
Perilluſtris olim & Admodùm Reverendus Dominus
M. FRANCISCUS
MATERSKI,
S. Theologiæ Doctor & Profeſſor
S. FLORIANI Clepardiæ ad Crac: DECANVS,
Eccle-

Ecclesiæ Parochialis Prosovicensis & SS. Apostolorum
PETRI & PAVLI in Cerdonia PRÆPOSITVS,
Contubernij Philosoporum PROVISOR,
qui cum insolitos Cæli inter homines amores invenit,
non habuit
quid ultra in terris quæreret,
dum Te ultimæ voluntatis Executorem elegit.
Perēnat & in animis illorũ quia sæculo digna obligatio
quos Tu Lydius ingeniorum lapis
ad Regale Sacerdotium Examinator approbasti,
aut Sacras Encomiastes ingressus Exedras,
Divinô fecisti ardere entheô,
singulos in admirationem rapiendo
ut Te redivivum existimarent Augustinum.
Tantorum Præmiatrix laborum,
Alma Mater Universitas,
justa meritorum Tuorum accessit æstimatrix,
in præmium Virtutis & Sapientiæ
Tibi Matthæo
censum Honoris Theologici offert.
Fugiebas hunc, magna mereri volens, quàm habere,
summam eminentiam putans nunquàm eminere.
ast
magis nascitur Honor per sui fugam
obviantibus autem inter amplexus evanescit,
amat se aversantes, oditq; amantes.
Utiq;
sæpe proterviam modestiæ fascibus punit vindex dignitas,
pedibusq; evitatus plerumq; caput coronat Honor.
In Te
 quò

quò magis depressam observavit modestiam;
eò altiùs elevavit.

Cum plaudente itaq; Honori Tuo
Senatu Academico
applaudit quoq; devinctissimum
Magno Honori Tuo
Philosophorum Contubernium,
quod dum continuis reples gratijs,
Alumnorum fortiùs quàm catenæ corda stringis,
Beneficia enim sunt compedes voluntatum,
nec est nodosior catena, quàm gratiarum obligatio.
Manibus quidem accipiuntur dona
sed cor acccipiunt.

Hinc

Ex præmissis Tuarum gratiarum
Conclusionem cum votorum censu inferunt,
ut
Tuæ momenta vitæ distingvas lustris,
lustra sæculis, sæcula annorum
Millionibus.



